

adec ut Regulares teneantur illas solvere, quemadmodum solvebant Laici priusquam ad ipsos transiissent, nisi a Sede Apost. speciale privilegium eos specificè quoad tales Decimas eximens obtineant, prout firmavit Rota in Caral. Decimæ fœni. 14. Junii 1659. coram Taya, et par. 12. redent. dec. 223. num. 7. ad 21. et pag. 17. dec. 232. num. 4. et pluries respondit Sac. Congre. Concil. apud Pignatell. tom. 1. cons. 355. et tom. 8. consul. 8. num. 9. et seq. et Barbosa de offic. et potest. Parochi part. 3. cap. 28. § 3. num. 44. et in Firmana Decimarum die 14. Novembris 1630. ibi: « Fratres Ordinis S. Augustini teneri ad solutionem Decimarum pro prædiis acquisitis, quæ dum a Laicis possidebantur, solutioni erant obnoxia; » et in una Polonien. seu Cracovien. Decimarum 17. Junii 1645. ibi: « Sacra Congregatio Concil. iterum atque iterum auditis Regularibus, et præcipue Patribus Soc. Jesu, eorumque Juribus ac privilegiis mature discussis, censuit ab iisdem Patribus et aliis Regularibus, solvendas esse Parochis et aliis Beneficiatis Decimas, quæ solvebantur a Laicis priusquam bona in ipsorum Patrum Soc. Jesu, et aliorum Regularium proprietatem fuerint translata, firmiter tamen remanentibus transactionibus desuper factis. » Quod etiam renovavit in una Ripana die 16. Maji 1647. additque etiam non obstante Constit. Gregorii XIII. quæ fuit redacta ad vim juris, et in una Camerinen. 15. Novembr. 1659. ibi: Sac. Congre. Conc. « censuit bona et prædia, quæ dum a Laicis possidebantur, Decimarum solutioni erant obnoxia, ad Regularium Monasteria cum suo onere transire, ac propterea Regulares teneri illas solvere Parochialium Ecclesiarum Rectoribus; quemadmodum tenebantur Laici, priusquam bona ipsa in Monasterii proprietatem translatis; dictisque Regularibus non suffragari allegata privilegia, sed requiri speciale privilegium posterius Sac. Concil. Trid. cum individua derogatione, » cap. *Nuper*, et in Nucerna Paganorum Decimarum die 24. Junii 1677, ubi ad dubium: « An Ecclesiæ sæculares, Monasteria Monialium S. Claræ, et S. Dominici, et Conventus, seu Monasteria Regularium nempe Carmelitarum, Minimorum, Scholarum piarum, Montis Virginis, Minorum Conventualium, S. Basilii, S. Benedicti, et Augustini teneantur solvere Decimas prædiales ex bonis, ex quibus Decimæ solvebantur a Laicis, antequam in prædictos transirent? » responsum fuit: *Affirm. quoad omnes, et si habent privilegium, deducant in Sac. Congr.*

(57. Et quidem quoad Patres Conventuales in Ferentina Decimarum die 16, Januarii 1694, ead. Sac. Congre. Concil. censuit eos, non obstante exceptionis privilegio, teneri Parochis solvere Decimas ex bonis titulo sive oneroso, sive lucrativo quæsitis. Et quoad Patres Prædicatores Rota Carpentoracten. Decimarum, consideratis omnibus eorum privilegiis, censuit eos non exemptos a Decimis, nisi pro bonis quæsitis ante Concilium Generale, nec suffragari privilegia postea obtenta;

utpote quæ non comprehendunt Decimas spirituales, vel non continent necessariam derogationem diet. cap. *Nuper de Decimis*, ut late firmatur in decis. 271, par. 18, recent. et dec. 201, par 19, tom. 1. et consonat resolutio ejusdem Sacræ Congr. in Ferentina Decimarum die 15, Januarii 1695, ubi resolutum fuit Parocho Oppidi Petræ Acutæ deberi Decimas prædiales honorum, quæ possidet Conventus Patrum Prædicatorum intra Parochiæ limites. (58. Immo etiamsi bona essent data pro erectione Monasterii, Collegii, seu pro dote Beneficii, quæ sunt immunita a quibuscumque collectis, et oneribus quamvis Cameralibus, adhuc non eximuntur a solutione Decimarum, ut plena Camera declaravit in Maceraten, 1. Julii 1697, et Congregatio Boni Regiminis in Veliterna, 27 Junii 1699. (59. Quinimodo Regulares, et etiam Collegia Societatis Jesu tenentur solvere Decimas prædiales juxta loci consuetudinem, etiamsi in præteritum non solverint, ut respondit Sac. Congre. Conc. in Firmana Decimarum 13. Junii 1697, et in Senogal. 30. Aug. 1704.

(60. Ad Decimas solvendas non tenentur Regulares non possidentes stabilia, et qui de eleemosynis vivunt, ut item Sacra Congregatio sub die 17. Octobris 1625, in specie pro Observantibus disposuit. Unde non comprehendunt prædicti Fratres Minores de Observantia in Bulla indictionis sex Decimarum super fructibus omnium Ecclesiasticorum Beneficiorum, et pensionum in universa Italia et Insulis adjacentibus ejusdem Alexandri Papæ septimi, prout declaratur in sequenti Epistola Subcollectoribus missa.

« Molto Rever. Signori.

(61. « Li Padri Minori Osservanti di S. Francesco, i quali sono Mendicanti, e non possono possedere, per disposizione del proprio Istituto, rendita alcuna d' elemosine, che loro vengono fatte, non sono tenuti al pagamento delle Decime. Per tanto le Signorie vostre dovranno per tal conto non molestarli; ed il Signor le felicità.

« Di Roma li 20. Maggio 1662.

« Delle Signorie VV. Affezionatiss.

« N. Arcivescovo di Damiana Tes. Gener. »

Loco ✕ sigilli.

« Francesco Miloni Secret. Succollettori delle Decime. »

(62. Sic etiam Theatini sunt exempti a solutione Decimarum Apostolicarum; Sac. Congre. Immunitatis 11 Jan. 1695, lib. 1, decret. Valheman., pag. 168.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. In locis, in quibus Parochiæ sunt divisæ, juris assistentiam pro Decimis habet utique Parochus, non item Episcopus, ut monet Auctor. (64. Sed notandum est quod, si Episcopus pro Decimis agat adversus Possessores bonorum, datum non est iis declinare solutionem Decimarum hoc sub obtentu, quod juris assistentiam pro Decimæ non

Episcopus sed Parochus habeat; (65. maxime si Parochus Episcopo adhæreat; Rota in S. Severinæ Decimarum 12 Jan. 1748, § 4, et in Confirmatoria 14, Jun. ejusd. anni 1748, § 6, cor. R. P. D. Bussio Decan.

ARTICULUS III.

*Decimæ ex quibus rebus, quo modo, tempore, et loco sint solvendæ.*

(1. De jure communi solvendæ sunt Decimæ prædiales de omnibus fructibus, seu proventus bonorum omnium tam mobilium, quam immobilium, licite acquiritorum. Et decimæ personales solvendæ sunt de omnibus lucris, et proventus per actionem, et industriam hominum licite acquisitis. Est communis; et de Decimis prædialibus habetur clare ex cap. *Nuncios 6, de Decimis*, ibi: « Et de omni fructu Decimas persolvere; » c. *Ex parte 21*, eod. tit. ibi: « Et de omnibus bonis Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ; » c. *Ex transmissa 23*, eod. t. ibi: « Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, Decimas erogare tenetur; » *Tua nobis 26*, eod. tit. ibi: « Cum de cunctis omnino proventus Decimæ sint reddendæ. » Et de Decimis personalibus habetur ex cap. *Ad Apostolicæ 20, de Decimis*, ibi: « Æquum est, ut illi Eccl. Decimæ personales reddantur, » etc.; c. *Non est 22*, eod. tit. ibi: « De negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione. Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ; » et cap. *Decimæ 66*, caus. 16, quæst. 1, ibi: « De militia, de negotio, de artificio redde decimas. » (2. Unde in specie Decimas solvunt 1 Frumentum, et triticum, 2 Palea, 3 Fœnum, 4 Pascua, 5 Vinum, 6 Fabæ et alia legumina, et Nuces, 7 Amigdalæ, et Castanæ, 8 Olivæ, 9 Folia mororum, 10 Saccharum, 11 Pisces, 12 Apes, seu fructus earum, 13 Lac, Lana, et fœtus animalium cum nutriti sunt, 14 Venatio, et Aucupium, 15 Ligna, 16 Linum, et Canapæ, et his similia, 17 Negotium et artificium, 18 Stipendia militum, 19 Advocatio, procuratio, merces et salariam, 20 Furna, 21 Lapidicina, 22 Fodina, 23 Molendina, et his similia, ut colligitur ex citatis juribus, cum concordantiis, et enumerantur communiter a Doctoribus, et signanter a Barb. de offic. et potest. Episc. p. 3, c. 28, § 1, n. 2, cum sequentibus, et Rota rec. par. 5, t. 2, dec. 591. n. 12, p. 7, dec. 180, num. 12, p. 9, t. 1, decis. 64, num. 9, et 10, part. 15, dec. 43, n. 8, et 9, dec. 99, num. 10, et sæpe alibi.

(3. Decimæ prædiales solvendæ sunt nedum de omnibus licite acquisitis, sed etiam de illicite acquisitis; D. Thomas 2, 2, q. 87, art. 2, ad 2, Glossa in cit. cap. *Ex transmissa 23, de Decimis*, verb. *Licite*, ad finem, Abbas, et Innocent. ibid. Pirhing lib. 3, decret. tit. 30, n. 18. Reiffenstuel ibid. num. 26, et alii communiter; arg. cap. de terris 16. *de Decimis*. Et ratio est, quia Decimæ prædiales sunt onus reale ipsi terræ, ac cæteris rebus inhærens, transiensque ad quemvis possessorem, sive bonæ, sive malæ fidei, alioquin prædo vel injustus invasor esset melioris

conditionis, quam bonæ fidei possessor, quod nullimode est dicendum, cum et ipse Dominus, si prædium possideret, Decimas solvere teneretur; ex quo Decimæ prædiales non debeantur ex actione, sive justa, sive injusta possessoris, sed ex prædiorum, aliarumque rerum possessorum fructibus, qui ex dono Dei proveniunt; cap. *Tua nobis 26, de Decimis*. (4. Loquendo autem de Decimis personalibus, ubi illæ adhuc sunt in usu, cum distinctione est procedendum; aut enim est sermo de Decimis ex lucris non solum licite acquisitis, sed et illicite retentis, ita ut restitutioni adhuc obnoxia sint, qualia sunt quæ acquiruntur ex furto, rapina, usura, simonia, injusto bello, fraude, injusto contractu, etc.; an vero de Decimis ex lucris solummodo illicite acquisitis, et licite retentis, qualia sunt acquisita ex meretricio, ex adulterio, ex convento homicidio, et hujusmodi, de quibus cum possessor verb. gr. Meretrix, Mulier adultera, conductus pecunia ad hominem occidendum, acquirat dominium, non tenetur ad restitutionem. (5. Si de primis, scilicet illicite acquisitis et illicite retentis, sit sermo, Decimæ nec dari debent, nec accipi possunt; S. Thomas l. c. Glossa in cit. cap. *Ex transmissa* verb. *Licite, de Decimis*, Abbas ibid. n. 3. Azorius part. 1, lib. 7, cap. 24, q. 13. Suarez lib. 1, c. 32, n. 6, et 7. Pirhing lib. 3, decret. n. 9. Reiffenstuel ib. n. 27, et Innocent. loc. cit. arg. cap. *Non est putanda 27*, caus. 1, qu. 1. Et ratio est, quia cum possessor non acquirat dominium talium rerum, sed eas restituere teneatur, res sic acquisitæ non computantur in bonis ejusdem, sed censentur bona aliena; l. *Non potuit 11, ff. de Jure Fisci*. Nulli autem licitum est aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem, textu expresso in cap. *Tua nobis 26, de Decimis*, ibi: « Cum nulli sit licitum aliena cuique concedere præter domini voluntatem. » (6. Si de secundis, scilicet illicite acquisitis, licite retentis sit sermo, Decimæ dari debent, et accipi possunt. Ita Glossa, et Doctores omnes locis supracitatis. Et ratio est, quia licet tales acquirentes, verb. gr. meretrix accipiendæ pecuniam pro meretricio, adultera pro adulterio, conductus ad occidendum hominem, pro homicidio, turpiter faciant in acquirendo, non tamen turpiter retinere dicuntur; l. 4, § *Sed quod meretrici, ff. de condict. ob turpem causam*. Unde si taliter acquisita licite retinere possunt, licite etiam possunt eadem erogare, et consequenter Decimas de iis solvere tenentur, cum delictum non præstet immunitatem; l. *Relegatorum*, § final. *ff. de interdict. et relegal.* (7. Quamvis autem de sic illicite acquisitis possint ministri Ecclesiæ Decimas repetere, non expedit tamen ut illas repetant, donec sic turpiter acquirentes non se emandaverint, ne videantur talia turpia facta approbare, et eorum sceleribus communicare, ut ait S. Thomas l. c. art. 2. Glossa cum aliis Doctoribus locis citatis. Unde ab Ecclesia oblationes aliorum respuunt ratione criminis; Deuteronomii c. 23, ibi: *Non offeres mercedem prostibuli*; cap. *Oblationes 2*, dist. 90. c. *Non est*



putanda 27, caus. 1, quæst. 1. c. *Miror* 8, caus. 17, quæst. 4.

(8. Decimæ non sunt solvendæ ex bonis acquisitis titulo hæreditatis, legati, vel donationis; Innoc. in d. c. *Non est 22, de Decimis* n. 2. Moneta de decimis cap. 5, n. 37. Rebuffus de decimis q. 8, n. 21. Suarez loc. cit. lib. 1, c. 31, n. 6. Layman lib. 4, tract. 6, cap. 1, n. 2, in fine, Pirhing loc. cit. n. 21. Barbosa l. c. n. 28, et alii. Et ratio est, quia Decimæ solummodo solvuntur ex fructibus, et emolumentis prædiorum, et rerum immobilium, aut animalium uti sunt Decimæ prædiales, aut ex acquisitis labore et industria hominum: sed bona illa, quæ alicui obveniunt ex hæreditate, legato, vel donatione, nec sunt fructus prædiorum, rerumque immobilium, aut animalium, nec fructus personarum, quia non ex labore, seu industria, et actione propria, sed ex alterius actione ei obveniunt, ergo, etc. Tum quia in Lege veteri Dominus dedit ipsas terras et possessiones, et tamen constat non ex ipsis, sed ex ipsorum fructibus sibi dari Decimas jussisse, juxta illud Num. c. 18, ac proinde cum Pontifices circa decimas constituendas imitati sint Legem veterem, dicendum est eos voluisse, ut non de terris et possessionibus ipsis, sed de earum fructibus decimæ solverentur. Tum etiam quia, si ex bonis ipsis immobilibus titulo hæreditatis, legati, vel donationis acquisitis deberent solvi decimæ, omnia fere bona mobilia quam cito ad Ecclesiam pervenirent.

(9. Hic tamen est advertendum, quod si bona acquisita titulo hæreditatis, legati, vel donationis, sint fructifera, et ex illorum fructibus nondum sint pro illo anno solutæ decimæ, debent solvi ab eo, qui eorum dominium et possessionem acquisivit, sicuti tenebitur ex post quotannis illasolvere, cum res transeat cum suo onere ad quemcumque possessorem; c. *Cum non 33, de decimis*, ibi: « Quoniam res cum onere suo transit. » Et cap. *Ex literis 5, de Pignoribus*, ibi: « Cum etiam bona... cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem; » Ita Suarez loc. cit. c. 31, n. 10. Pirhing l. c. n. 22, et alii communiter.

(10. Decimæ prædiales solvendæ sunt integre absque ulla deductione seminis, vel expensarum, quæ in colendis prædiis, et colligendis fructibus, pro custodia animalium, et hujusmodi fiunt; cap. *Cum homines 7, de decimis*, ibi: « Decimam Eccl. cujus Parochiani sunt, sine diminutioneolvere tenentur, » cap. *Ex part. 21*, eodem tit. ibi: « De omnibus prædiorum fructibus decimas absque diminutione persolvant; » cap. *Non est 22*, eodem tit. ibi: « Præcipimus, quatenus antequam ulla deducatis de bonis prædictis expensas, decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, cum integritate debita persolvatis; » cap. *Tua nobis 26*, eod. tit. ibi: « Mandamus quatenus omnes, qui ratione... prædiorum decimas Ecclesiis, et Clericis tuæ Diocesis exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas appellatione

remota compellas; » cap. *Pastoralis 28*, eod. tit. ibi: « Expensas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis ex illis, de quibus fructus proveniunt, non credimus deducendas, » etc., et sic communiter Doctores. (11. Insuper decimæ prædiales solvendæ sunt integre absque ulla deductione tributorum, et censuum prædialium, vel aliarum exactionum, ita ut ante præstationem illarum integre solvi debeant, vel si prius tributa non decimata solvantur, et ipsa decimari debeant, sive decimas indeolvere cogatur is, qui tributa accepit, textu expresso in cap. *Cum sit 33, de decimis*, ibi: « Cum non sit in homine quid semen serenti respondeat, quoniam juxta verbum Apostoli, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; qui de mortificato semine plurimum fructum affert, nimis avare quidem in decimis defraudare nituntur census et tributa, quæ interdum indecimate prætereunt, de frugibus primitus deducentes. Cum autem in signum universalis Domini quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit, nos et Ecclesiarum dispendiis, et Ecclesiarum periculis obviare volentes, statuimus, ut in prærogativam Domini generalis exactionem tributorum et censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimate pervenerint, quoniam res cum suo onere transit, ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur. » Sic etiam Doctores communiter.

(12. Decimæ personales solvendæ sunt non nisi deductis prius expensis; cap. *Pastoralis 28, de decimis*, ibi: « Explicari postulasti, utrum quis possit de molendinis, et piscariis necessarias expensas deducere, priusquam solvat decimas ex eisdem, sicut est in negotiatione concessum? Ad quod respondemus, quod licet circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, cum ipsæ venduntur, credamus deducendas expensas, » etc.; et Glossa ibid. verb. *Expensas*, ibi: « Expensas factas in eundo et redeundo, et negotiando faciendi meliorem; » et est communis. Ratio autem, cur Decimæ personales solvendæ sint deductis expensis, et prædiales expensis non deductis, varia assignatur a Doctor. ut videri potest apud Barb. loc. cit. n. 35, sed hic adducitur solum illa, quam præ cæteris dant D. Thomas 2, 2, qu. 87, art. 2. Gonz. in cap. *Cum homines 7, de decimis* n. 8, idem Barbosa loc. cit. n. 26. Pirhing. loc. cit. n. 30, et alii plures, scilicet, quod Decimæ personales solvantur ex fructibus civiliter consideratis, quorum nomine illi soli veniunt qui deductis expensis supersunt; l. *fructus 7*, in princ. ff. *solut. Matrim.* ibi: « Fructus eos esse constat qui, deductis expensis, supererunt; » et l. 1, c. *de fruct. lit.* ibi: « Hoc fructuum nomine continetur, quod justis fructibus deductis superest, » uti est v. gr. si quis expendat centum aureos in emendis mercibus, quas postea vendat 150 aureis, ex hac summa deducendi sunt prius aurei,

quibus merces emptæ sunt, deinde expensæ factæ in vectigalibus, et itineribus, quibus deductis, si remanserint ex lucro triginta aurei, tenebitur pro decimisolvere tres aureos; ut recte advertit Canisius tractatu de decimis cap. 2, n. 2. Decimæ vero prædiales solvantur ex fructibus naturaliter consideratis secundum se, et quatenus ex terra, et re ipsa proveniunt dono, et Beneficio Dei, sine quo potuisset etiam post factas expensas nihil crescere, juxta illud I ad Corinth. 3, ibi: *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*. Unde cum ab ipso Deo, tamquam Auctore cuncti ipsi fructus proveniant, decimæ de illis sine ulla expensarum deductione solvantur. Sicut enim si locetur vinea, vel ager pro certis mensuris, vel certa parte v. g. quarta fructuum, solvendi sunt fructus locatori non deductis expensis, juxta cap. *Tua nobis 26, de decimis*. Ita etiam ex fructibus prædialibus decimæ integre solvi debent non deductis expensis, quia prædia sunt a Deo veluti locata hominibus pro decima parte fructuum sibi tamquam supremo Domino, ac vice sui Ecclesiæ Ministris quotannis solvenda; argum. cit. cap. *Tua nobis 26*, et cap. *Cum non sit 33, de decimis*.

(13. Decimæ prædiales solvendæ sunt, statim ac fructus sunt a solo separati et collecti, textu expresso in cit. c. *Cum homines 7, de decimis*, ibi: « Mandamus quatenus eos cogatis, ut decimas statim fructibus collectis persolvant. » Idque desumitur ex c. 22. Exodi, ubi dicitur: *Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere*. (14. Et obligati ad decimas tenentur illasolvere, etiamsi a Parocho, vel ab alio jus decimandi habente prius non moneantur nec ab eis petantur, nam ipse dies, sive tempus solutionis pro creditore interpellat; arg. cap. *Potuit 4, de locato et conducto*, ibi: « Non obstante, quod ei, ut Canonem solveret, non extitit nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellat; » (15. alioquin peccant, si sine justa causa solutionem notabiliter differant, uti pro certo supponitur, et traditur cap. *Decimæ 66*, caus. 16, q. 1, ibi: *Sed si tardius dare decimas peccatum est, quanto pejus est non dedisse*, et tenent Glossa in cit. cap. *Cum homines 7, de decimis*, verb. *Fructibus collectis*; Abbas ibid. num. 3. Layman lib. 4, tract. 6, cap. 5, num. 1. Rebuffus loc. cit. qu. 11, num. 3. Pirhing loc. cit. num. 93. Reiffenstuel l. c. n. 32, et alii passim. (16. Immo obligati ad decimas tenentur ad resarciendum damnum, si quod ex sua culpabili mora solvendi in decimis sequatur; arg. l. *Cum res 47*, § fin. ff. *de Legat. 1*, c. *Cum gratia sui unic. de commodato*, ibi: « seu in mora fuisset, » et cit. c. *Cum homines 7, de decimis*, ibi: « Atque de subtractis, et retentis dignam satisfactionem exhibere procurent; » et sic tenent cum Glossa omnes Doctores mox citati. (17. Decimæ prædiales solvendæ sunt pluries in anno, si Prædia pluries in anno seminantur, et pluries in anno fructus proferant, textu expresso in c. *Exp. 21, de de-*

decimis, et Glossa ib. verb. *Unius*, et alia Glossa in c. *Revertimini 65*, caus. 16, qu. 1, verb. *Annus*, et est communis. (18. Decimæ personales, ubi illæ adhuc sunt in usu, solvantur omnes in fine cujusque anni, sicut alii census, et tributa tunc solvi solent; Glossa in cit. cap. *Revertimini 65*, caus. 16, qu. 1. Abbas in cap. *pervenit 5, de decimis* num. 3. Layman loc. cit. Pirhing loc. cit. num. 93. Reiffenstuel loc. cit. num. 35, et alii passim. Et ratio est, quia si de cujusvis operis, negotii, vel industriæ fructu, seu lucro statim solvi deberent decimæ, id in nimium incommodum esset tum ipsi datori, tum ipsi acceptatori decimarum, cum particularis solutio multa incommoda afferre soleat; l. *Plane 3, Famil. Herciscund.* (19. Si tamen alicubi esset diversa consuetudo, esset observanda, cum de tempore solutionis decimarum personalium nihil reperitur cautum in jure, et sic attendenda erit cujusque loci consuetudo, nam de quibus causis scriptis legibus nihil utimur, id custodiri oportet, quod moribus, et consuetudine introductum est, dicit Ulpianus l. *de quibus 32*, ff. *de Legibus*.

(20. Circa locum, in quo solvendæ sint decimæ, si attendatur jus commune, videtur, quod Parochiani teneantur propriis sumptibus illas deferre in domum, vel horreum Parochi; arg. cap. *Revertimini 65*, caus. 19, qu. 1, ibi: « Hortor vos, atque commoneo, ut inferatis decimas in horrea mea, » et cap. *Decimas 1*, caus. 16, qu. 7, ibi: « Inferte omnem decimationem in horreum meum, » quod est desumptum ex Malachiæ 3, et tenent Glossa in cit. cap. *Revertimini* verb. *In horrea*, Abbas in cap. *Pervenit 5, de decimis* num. 3. Covarruytas lib. 1, variar. resolut. cap. 17, num. 8. Gonzalez in cap. *Cum homines 7, de decimis* num. 6. Gutierrez lib. 2, Canon. qq. cap. 12, num. 23. Reiffenstuel loc. cit. n. 36, cum communi aliorum contra Barbosam loc. cit. § 2, num. 24. Layman loc. cit. cap. 5, num. 2. Pirhing loc. cit. num. 94. Et ratio est, quia, ut recte dicit meus Reiffenstuel loc. cit. quia Christiani non minus tenentur præstare decimas in signum universalis domini Dei, quam quivis subditus tenetur tributa sua, et censusolvere terreno domino in signum domini ejusdem; arg. cap. *Tua nobis 26, de decimis*; sed terreni subditi tenentur census, et tributa in signum Domini debita, deferre propriis sumptibus ad domum domini; arg. l. *Pro locis 6*, ff. *de ann. et tribut.* ergo, etc. (21. Si vero attendatur consuetudo jam fere ubique introducta, teste Gutierrez loc. cit. num. 45. Barbosa loc. citat. num. 24. Canisio de decimis c. 7. Parochi ipsi, alique decimatores tenentur decimas colligere, et suis expensis in domum deferre. Et ubi talis adest consuetudo legitime præscripta, est ibi observanda, ut fatentur omnes Doctores; arg. cap. *Cum tanto 11, de consuetudine*, ibi: « Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare,



nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. Consuetudine esse posse fructus, ex quibus Decima non solvatur, communis est Canonistarum sententia. (23. Quæstio vero non inutilis hic discutienda est, an decima debeat, si in Prædiis, quæ fructus ferebant decimæ obnoxios, substituuntur fructus, qui consuetudine, ut dictum est, decimæ minime erant subjecti? (24. Affirmant Mornac. in lib. 13. fer. per tot. ff. de servit. rustic. Dupineau in suis quæst. et consult. c. 10. pariter fere per tot. (25. Negant vero Grimaudet de decimis lib. 1. num. 3. per tot. Papon. Corpor. Jur. Francic. lib. 1, tit. 12, num. 5. Rot. in Cæsaraugustana Decimarum 15. Maji 1752. et in Confirmatoria 2. Aprilis 1753. coram R. P. D. Canilliac, idque non male, nam decimam debent non ipsa prædia, sed fructus; locus propterea esse nequit decimæ, si consuetudo a decima exemit novos fructus.

(26. Negativam vero hanc opinionem duobus in casibus limitat Rousseaud de la Combe in sua Jurisprud. Canon verb. Decimæ sect. 10. qu. 6 et 7. (27. Prior est, si consuetudo vigeat, ut ex novis fructibus non obnoxii decimæ solvatur decima. (28. Alter est, si hæc substitutio fructuum non obnoxiorum decimæ, adeo universalis sit, ut Parocho congrua desit.

(29. Decima regulariter solvenda est in ipsis fructibus, non item in pecunia. Consuetudine vero fieri potest, ut solvatur in pecunia. At quænam consuetudo hujus sit efficaciam, expendit Rot. in Cracovien. Decimarum super bono jure 26. Junii 1748. coram Illustriss. Clement. impress. Romæ per Barbiellini 1781. et in alia Cracovien. Decimarum super bono jure 27. Aprilis 1750. coram Illustriss. Cortiada.

ARTICULUS IV.

Jus decimandi a quibus, et quibus modis acquiri et concedi possit.

(1. Clerici acquirere possunt jus decimandi variis modis. Primo, *papæ concessione, seu privilegio*, ratione cujus privilegii, seu concessionis fit, quod decimæ alias de jure ad Parochum spectantes, debeant solvi Ecclesiæ non Parochiali, v. g. Regulari, aut Beneficiato simplici. (2. Ita Doctores communiter arg. cap. *Statuto 2. de Decimis* in 6. Secundo, *per consuetudinem legitime præscriptam*. Est communis; arg. cap. *Cum sint 18. cap. Ad Apostolicam 20. c. Cum contingat 29. de Decimis*. Et ratio est, quia consuetudo legitime præscripta derogare potest juri communi positivo, cap. *Cum tanto 2. de consuetud.* et per consequens jus uni Ecclesiæ competens in aliam transferre, cap. *Cum Dilectus 8. de consuetud.* (3. Ad sic autem præscribendum contra Laicum, vel contra Clericum privatum, vel contra aliam causam non privilegiatam sufficit decennium inter præsentem, et vicennium inter absentes, arg. leg. unic. Cod. de *usuacap. transformand. et § 1. Instit. de usu-*

cap. ibi: « Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero longi temporis possessionem (id est inter præsentem decennio, inter absentes viginti annis) usucapiantur. » (4. Ad sic præscribendum contra aliquam causam piam, v. g. Hospitale, Monasterium, Capitulum, vel aliquam Ecclesiam non Parochialem, requiruntur, et sufficiunt quadraginta anni cum bona fide. Authen. *quas actiones*, Cod. de Sacrosantæ. Eccl. cap. *Aures 6. cap. Illud autem 8. et cap. Quia judicante 9. de præscript.* (5. Ad sic vero præscribendum contra Ecclesiam Parochialem requiruntur quadraginta anni una cum titulo, vel tempus immemorabile; est communis. Et ratio est quia ad præscriptionem contra Ecclesiam requiritur dictum tempus una cum titulo, quoties jus commune resistit, vel præsumptio est contra præscribentem, textu expresso in cap. 1. *de præscriptionib.* in 6. ibi: « Nam licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habetur, sufficit bona fides; ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi; nisi tanti temporis allegatur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat. » At qui jus commune resistit præscribenti Decimas contra Ecclesiam Parochialem, et habetur præsumptio contra ipsum præscribentem, cum sit expresse statutum Decimas de jure pertinere ad Parochos; cap. *Quoniam 13. cap. Cum sint 18. cap. Ad Apostolicam 20. cap. Tua nobis 26. cap. Cum contingat 29. et cap. Cum in tua 30. de decimis*, adeoque, etc.

(6. Tertio Clerici acquirere possunt jus decimandi *per transactionem*, ita ut jus decimandi per talem transactionem, seu amicabilem compositionem, uni, vel alteri, vel utrique parti acquiratur, ut constat ex c. *Multiplici 3. et cap. Suggestum 9. de Decimis*, ut si v. g. lis oriatur ad quem ex Parochis, vel aliis Clericis, vel etiam Religiosis pertineant Decimæ, possunt partes litigantes transigere et componere, ut Decimæ æqualiter inter ipsos dividantur, vel uni parti major portio, vel alteri minor tribuatur: dummodo in tali transactione nullum pactum Simoniacum interveniat, ita ut pro spirituali jure decimarum detur pecunia, vel alia res pretio æstimabilis; Glossa in cit. cap. *Ex multiplici*, verb. *Conventionem*, Rebuffus de Decimis quæst. 13. num. 26. Pirhing loc. cit. n. 120. Reiffenstuel. loc. cit. num. 117. et alii communiter. (7. Talis autem transactio si sit facta cum legitima auctoritate, et consensu superiorum, obligat etiam successores. Glossa in cit. cap. *Ex multiplici*, verb. *Eandem conventionem*, Abbas ibidem num. 2. Layman lib. 4. tract. 6. num. 1. Reiffenstuel. loc. cit. num. 118. et communis aliorum, arg. cap. *Statuimus 2. de transactionibus*, ibi: « Statuimus, ut si super Decimis inter vos, et aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata, et inconcussa persistat. »

et cap. *Veniens 8. de transactionib.* ubi expresse declaratur successores non teneri stare Transactioni super decimis factæ absque auctoritate legitima Superioris. (8. Si vero transactio facta fuerit sine legitima auctoritate Superioris, valet solum inter personas ipsas transigentes, et nullimode obligat successores; cit. cap. *Veniens 8. de transactionibus* ubi assignatur hæc ratio: « Cum inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur, nec pacta inter alios facta aliis obesse patiamur. » Quod idem colligitur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. *de reform.*, ibi: « Concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores; et tenent auctoritate citata, Fagnan. in d. c. *Veniens, num. 2. Reiffenstuel. loc. cit. n. 118. et alii communiter.*

(9. Quarto Clerici acquirere possunt jus decimandi, *Donatione*, dummodo adsint solemnitates ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitæ; cum Donatio expresse numeretur inter species alienationis; cap. *Nulli liceat 5. de rebus Ecclesiæ alienand. vel non*, ibi: « Alienationis autem verbum continet donationem. » (10. Si tamen Decimarum donatio sit facta a Laico Ecclesiæ, vel loco Religioso, tunc non requiruntur tales solemnitates, sed sufficit solus Episcopi consensus; cap. *Cum Apostolica Sedes 7. de his, quæ fiunt a Prælato sine consensu* cap. ibi: « Nam in Lateranensi Concilio est inhibitum, ne qualibet Religiosa persona Ecclesias, et decimas de manibus Laicorum sine consensu Episcoporum recipiat, per quod indirecte datur intelligi, quod sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiæ sit decimas de manibus recipere Laicorum. Hoc autem de illis Decimis intelligimus, quæ Laicis in Feudum perpetuo sunt concessæ. » (11. Quinto Clerici acquirere possunt jus decimandi, *Permutatione*, qua una Ecclesia cum altera decimas pro decimis, vel alio jure spirituali permutat; argum. cap. *Ad q. 6. et cap. Exhibita 9. de rerum permutat.* et Glossa ibidem verb. *Temporalia* cum communi Doctorum. (12. Requiritur autem solemnitates ad alienationem necessariæ, quia *Permutatio* expresse numeratur inter species alienationis; cap. *Nulli liceat 5. de rebus Eccl. alienand. vel non*, ibi: « Alienationis autem verbum continet permutationem. » (13. Sexto Clerici acquirere possunt jus decimandi per *Compromissum* in Arbitros; arg. cap. *Cum Apostolica 7. de his quæ fiunt a Prælato sine consensu. Capitul. et cap. Sane 1. de Arbitris*; Per arbitrium enim, seu sententiam Arbitrorum (cui partes stare debent) possunt decimæ uni litigantium adjudicari, et alteri auferri, sive totæ, sive pro parte.

(14. Requiritur tamen pro tali compromisso solemnitates ad alienationem necessariæ: Abbas in cap. *Dilecti Filii 4. de Arbitris* num. 8. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 6. num. 1. Pirhing loc. cit. n. 123. Reiffenstuel loc. cit. num. 120. et alii passim. Et ratio est quia per compromissum indirecte perveniri potest ad alienationem decimarum, quæ est directe prohibita, ut patet ex toto titulo

*de rebus Eccles. alienand. vel non*, et ex Constitutione Pauli II. incip. *Ambitiosæ*; prohibita autem alienatione, censetur etiam prohibitus omnis actus, per quem deveniri potest ad alienationem. c. *Cum quid 39. de Reg. juris* in 6. ibi: « Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ex illo sequuntur. »

(15. Laici nullo modo possunt acquirere jus decimandi, quatenus spirituale est, sive fundatum in titulo spiritualis Officii, seu obligationis ministrandi spiritualia: textu expresso in cap. *Decimas 1. caust. 16. q. 7.* ibi: « Decimas, quas in usum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, a Laicis possideri auctoritate Apostolica prohibemus, sive enim ab Episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, (nisi Ecclesiæ reddiderint) sciant se sacrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere; » cap. *Ad hæc 15. de decimis*, ubi Alexander III. irritat donationem Decimarum factam a quodam Abbate cuidam Laico, et ejus hæredibus; ibi: « Quoniam sanctuarium Dei, (scilicet Decima, quatenus est jus mere spirituale) jure hæreditario possideri non debet, viribus carere decernas; Et Laicum (nisi Decimam ipsam ipsi Ecclesiæ libere resignaverit) vinculo excommunicationis adstringas; » cap. *Quamvis 17. de decim.* ibi: « Quamvis sit grave nimis, et Divini dignum animadversione iudicii habeatur, quod Laici quidam, quod Sacerdotum est in Ecclesiasticis rebus (de Decimis est sermo) usurpant, majorem tamen, » etc., et consimiliter habetur in cap. *Prohibemus 19. eod. tit. et cap. Causam 7. de præscriptionib.* et est communis et certa cum Glossa in dict. cap. *Quamvis* verb. *concesserit*, et Rota part. 1 recent. dec. 48, num. 9. part. 8. dec. 47. num. 25. part. 9. tom. 1. dec. 234. num. 1, et 2. part. 10. dec. 97. num. 1. dec. 253. num. 6. dec. 291. n. 31. part. 14. dec. 234. num. 1. part. 15. dec. 67. n. 1. part. 17. dec. 46. num. 5. et sæpe alibi. Et ratio est, quia cum Laici Officia spiritualia ministrare non possint, c. *Bene quidem 1. dist. 96. cap. Decernimus 2. de judiciis*; cap. *Tua 25. de Decimis*, sequitur evidenter, quod nullo modo possint acquirere jus decimandi, quatenus spirituale est, sive fundatum in titulo spiritualis Officii, seu obligationis ministrandi spiritualia.

(16. Possunt tamen Laici licite et valide per specialem concessionem, seu privilegium Summi Pontificis acquirere jus decimarum, quatenus hoc consideratur ut abstractum a titulo ac jure spirituali, et solummodo est quid temporale, scilicet jus præcise percipiendi decimam partem fructuum. Est communis cum Pirhing l. c. n. 138. Reiffenstuel loc. cit. n. 131. Rota part. 6, dec. 19, n. 17, par. 7, dec. 180, n. 20. et 21, part. 10, decis. 175, n. 9, decis. 291, n. 9, part. 14, decis. 424, n. 9, et sæpe alibi. Et constat multiplici experientia plurimum Romanorum Pontificum, qui jus percipiendi perpetuo similes Decimas cum facultate transferendi illud successoribus suis concesserunt variis Regibus, Ducibus, aliisque Principibus ob eorum am-